

176

358, 2



279

DIATRIBARUM
DOMESTICARUM
DECAS VII.

QUAM

D. O. M. A.

PERMISSU ET CONSENSU

Amplissimi Jctorum Ordinis
in Academia Salanâ,

PRÆSIDE

JOHANNESCHRÖTERO,
OSTERBURGO-MARCHICO,

DEFENDERE CONABITUR

JOANNES CURDESIVS AMPHURDENSIS
SAXO.

Ad diem XXIX. Novembr.

JENÆ

TYPIS JOHANNIS WEIDNERI.

ANNO CHRISTI

1614.

Clarissimo necnon Doctissimo VIRO

**DN. M. JOANNI
CURDESIO, Icto,**
Patri suo plurimum vene-
rando.

UT ET

*Clarissimo, Consultissimo, Excellentissimo, Mul-
tarumq; rerum experientia conspicuo VIRO,*

**DN. GODEFRIDO
MULLERO I. V. DOCTORI,**
Illustrissimi, Celsissimiq; Prin-
cipis Anhaltini, Ioannis Georgii Dessaviæ, à con-
siliis intimis: affini suo perpetuo reverentiæ & oboe-
dientiæ cultu prosequendo.

D. D. D.



*Ui dono levidense tale munus,
Atq; primitias dedit Salana
Quas sub prasidio mei Schröteri?
Curdesi tibi mi Pater colende,
Nam contemnere tu pigros suesti,
Et exercitium aestimare magni.
Ac ti bi Godefride flos Themistum,
Affinis mihi jugiter verende;*

*Nam tu spernere parva non solebas
Sincero ex animo profecta dona.
Iccirco tibi mi Parens habebis,
Nec non tu Godefride, vos amici
(Excepto Domino Deo supremo)
Unici mihi, candidi, sereni,
Olim fors mea Musa digniora
Dabit. Interea valet e rectè.*

Respondens.

M E O
J O A N N I C U R D E S I O
R E S P O N D E N T I.



*HURDESI patriis urge vestigia curis
Ad laudem ducunt qua meliore via.
Currunt permulti, sed paucos equus amavit
Juppiter, aut virtus intulit alma Polo.
Est sibi quisq; Deus, sibi quisq; est Dæmon & artes,
Quas vult ingenua discere sorte potest.
Felix sorte tua, CHURDESI, Patria tellus
Quo sibi gratetur mox habitura satis.*

M. Thomas Sagittarius, P. Cæs. Prof. Publ.
& Facultat. Philosoph. P. T. Decanus.

CURDESI, patris egregii gratissima proles,
Atque Novenarum spes non temnenda sororum:
Tu quoq; (quod meritò metris & carmine dignum)
In Themidos vigili tendis sacraria cura,
Visurus quæ sint, homines quæ vincula stringunt.
Sic benè! sunt illi genitor quos adprobat, ausus.
Tu porrò pergas obscura latentia Juris
Rimari, quondam sic te mirabitur orbis.

Johannes Schröterus Pr.

ΑΝΑΓΡΑΜΜΑΤΙΣΜΟΣ,

Joannes Curdesius


hoc est,

I, non deses cura jus.

Certanti validè, dum percupis, optime Jane,
Ponere nostra tibi verba Thalia paret;
Solvitur in varias conanti didita partes
Mens, numerisq; minus commoda verba fluunt.

Horrent

Horrent arrecta, tua nam perstringere docta
 Prælia num valeo? tota per ora comæ.
 Dignus es ut recinat Pelignus suavia vates
 Carmina, namq; tuo nectar ab ore venit.
 Dignus Meonides metrum cui pangat, acuta
 Ingenii vena, iudicioq; vales.
 Has tamen, has tenues, oro, ne sperne myricas,
 Quæis mea magna tibi munera, Musa vovet.
 Amplum NON DESES CURA FUS, I sed ad arma
 Intrepidè, monstrat quæ tibi diæ Themis.
 Pugna, non veniunt sine Marte nec arte triumphi,
 Sudoris clari clara brabeia feres.
 Perplexos griphos discerpe, plicasq; tricasq;
 Discute iudicii dexteritate tui.
 Helluo sis legum, poteris quæis sternere legum
 Oppugnatores. Sic benè fervet opus!
 Usus te varios doceat dissolvere nodos;
 Quod genii multum poscit, & artis opem;
 Gloria Corycidum, melicæ per amabilem Suadæ
 Ut sis dein corclum, sis Charitumq; jubar,
 Eunomiesq; vigor, sublustris adorea culta
 Sic Themidos, splendens Christiadumq; nitor.
 Sic tua te virtus decoret! virtute paratur
 Nobilitas, virtus ducit ad astra bonos.
 Extra Majorum fulget; Virtutis at intra
 Gloria, Te magnum reddet utrumq; virum.
 Pergito, ceu pergis, factis extendere famam,
 Divini gliscat Numinis inde decus,
 Inde salus fructum decerpit publica, crescat
 Nominis inde tui non moriturus honor.
 Andreas Grangeman Lunæburgensis.



DIATRIBARUM
DOMESTICARUM

DECA'S SEPTIMA.

RESPONDENTE

JOHANNNE
CURDESIO,
AMPHURDENSIS.

QUÆSTIO I.

An filius familias patri acquirat naturalem obligationem?



Questioni huic ansam præbuit difficilis illa l. frater à fratre 38. de condict. indeb. quam cum publicæ disquisitioni aliquando subjicerem, memini me pro ratione decisionis attulisse hoc, quod filius naturalem obligationem, quæ sibi obstrictum tenebat fratrem, acquisivisset patri. Vide disput. nostram ad 7. leg. diff. q. 4. Quia verò ibidem latius hac de re dicendi non erat locus, ideoq; nunc veritatem præsuppositi hujus paucis

V

investi-

investigare placuit. Acquiri autem patri per filiumfam. naturalem obligationem per subsequencia demonstramus fundamenta. I. Quicumque patri acquirat hereditatem, eidem etiam acquirat quicquid in ea hereditate reperitur: continet enim hereditas universum Jus defuncti, l. 24. de Verbor. Significat. l. 62. de R. J. Sed filiusfamil. patri acquirat totam hereditatem si solus sit institutus, l. 79. de acquir. her. Ergo etiam quae in hereditate continentur, inter quae est obligatio naturalis l. 95. §. 2. de solut. ubi obligatio naturalis pupilli in hereditate illius attenditur, l. 40. ad SC. Trebell. ubi heres fiduciarius in heredem fideicommissarium transmittere dicitur causam naturalium obligationum. II. Filiusfamil. in causis acquisitionis respectu peculii profectitii comparatur serv. prin. tit. Inst. per quas pers. cuiq. acquir. Et t. per quas pers. nob. oblig. acquir. Et t. quod cum eo. servus autem, qui naturaliter obligatur Et obligat. l. 14. de Obligat. Et Actio domino acquirat obligationem, l. 41. de pecul. etiam naturalem l. 9. §. 3. eodem. Detur ergo ratio differentiae inter servum Et filiumfam. aut concedatur consequens. III. Neque verò id quisquam negare poterit, filiumfam. patri acquirere obligationem civilem, l. 1. pr. si à par. quis man. rubr. tit. Inst. per quas person. oblig. nob. acquir. non tantum ejus effectum, ut quidam existimant, cum Et per servum acquiratur, l. 63. de acquir. her. in cujus persona civilis non subsistit d. l. 14. de O. Et A. l. 41. de pecul. Ex quo vicissim sequitur, quod multò magis eidem acquirat naturalem: ea enim quae civilia sunt difficilius acquiruntur, quam quae naturalia. Hinc possessio, quae plurimum habet facti, l. 19. ex quib. caus. major. Et ex jure plurimum mutuatur l. 49. pr. de acquir. poss. non tantum per eos, qui nostro juri sunt

subje-

subiecti acquiritur, l. 10. §. 2. de A. R. D. sed & per alios l. 53.
 eod. l. 14. §. si. de furt. IV. Quicumque civiliter obligatur, is
 simul et tenetur naturaliter, vide Giph. ad l. 14. de O. & A. n.
 28. Quod si igitur filius sola civilem obligationem acquirit
 patri, naturalem vero sibi, sequetur hoc absurdum, quod debi-
 tor qui semel satisfecit patri, naturaliter adhuc teneatur, filio,
 cui si per errorem aliquid dederit, non habebit conditionem
 indebiti l. 13. de condict. indeb. l. 26. §. 12. eod. Et sic contra bo-
 nam fidem ex eadem obligatione bis idem exigetur l. 57. de R.
 J. Vel si filio ante patrem sit solutus, eveniet ut obligatio civi-
 lis sterilis efficiatur, & sic filius accipiendo patris conditio-
 nem faceret deteriorem contra l. 23. C. de pact. V. Quia causa
 propter quam cetera omnia acquiruntur patri, non minus
 obtinet respectu obligationis naturalis, quam civilis. Est au-
 tem hac nulla alia, quam patria potestas l. 8. in f. de his qui
 sunt sui. Cur igitur ei eundem etiam effectum non tribua-
 mus? VI. Postremo sententiam nostram firmat l. 65. §. 1. fide-
 juss. ubi si filius a patre stipulatur, adeo est nulla obligatio, ut
 nec fidejussor accedere possit. At cur hoc? scilicet fideijus-
 sor daretur patri pro seipso, quod commodè fieri nequit. Si
 autem naturalis obligatio ita subsisteret in persona filii, ut ad
 patrem non transiret, utiq; fidejussor rectè accederet, l. 8. §.
 3. & l. 16. §. 3. d. t. Vide Don. lib. 14. com. 19. Cujac. ad l. 38. de
 condict. indeb. Pac. ibid. & Mercer. Diss. Hotom. in
 disp. ad d. l. 38. Ant. Fab. 20. conject. c. ult. Hil-
 liger. in d. libr. 14. Don. c. 19. Gasp.
 Schifordegh. lib. 3. ad Ant.
 Fabr. tr. s. q. 4.
 (·)

QUÆSTIO II.

Valore pecuniæ creditæ mutato, cujus temporis æstimatio sit inspicienda?

Quemadmodum rerum precia pro ratione civitatum & regionum variant l. 36. §. si. ad l. Falc. ita etiam nūmorū æstimatio licet sit certa l. 3. de in lit. jur. tamen non sēper est eadē l. 3. de eo quod cert. loc. Queritur hinc si bonitas pecuniæ extrinseca (ita n. vocari eā posse statuimus, l. 65. §. 6. de cōd. indeb. cum alia sit naturalis & intrinseca, §. 13. in f. Inst. de l. Aquil.) mutetur tempore durantis obligationis, utrum eo valore sit restituenda, qui fuit tempore contractus, an eo, qui est tempore solutionis? Et tempus contractus initi præferri existimamus. I. Quia certum est in contractu mutui regaliter non ipsa corpora considerari, sed quantitatem, sive ea definiatur numero, sive mensura, sive pondere, l. 65. §. 1. de V. O. l. 2. §. 1. de reb. cred. idq̄ vel in primis de nummis dicendum est, quorum æstimatio prævalet ipsi materia l. 1. de contr. empt. unde est, quod pecunia plerumque annumeratur rebus incorporalibus l. 95. de leg. 3. l. 46. de condict. indeb. l. 10. de accept. l. 68. ad SC. Trebell. l. 81. l. 34. §. 2. de leg. 1. l. 94. de solut. l. 24. Depos. Raro verò rebus corporalibus, idq̄ quando corpus potius inspicitur, quàm quantitas l. 1. §. 1. de divis. rer. vide Hotom. 8. obs. c. 4. Quantitas ergò qua tempore contractus pecunia inerat, mutuo data censetur, & per consequens nec major, nec minor est restituenda. II. Quia res ea bonitate est reddenda, qua fuit data l. 3. de reb. cred. At si pecunia redderetur secundum eam quantitatem qua nunc est, non qua tunc, non redderetur eadem bonitate. Ergò. Minor patet: Etenim si valor crevisset, jam esset alia quantitas, & sic alia pecunia,

nam

nam ex quantitate ut potiori pecunia aestimatur: sin verò imminutus esset, jam multò magis esset alia quantitas & sic neutro modo rectè solveretur, sicut vinum recens non rectè solvitur pro veteri propter diversam aestimationem, d. l. 3. III. Ex his ulterius infero: Aliud pro alio invito creditori solvi nequit l. 2. §. 2. de reb. cred. At si redditur quantitas qua est tempore solutionis, aliud pro alio solvitur. Ergò alia reddi nequit, quàm qua fuit tempore contractus. IIII. Quia idem etiam in aliis contractibus receptum est, ut tempus obligationis initæ, non solvenda inspiciatur, l. 69. de contr. empt. V. Quia hac ratione nec quantitas nec corpora eodem numero restituerentur: de quantitate res est plana, de corporibus id demonstramus. Si valor esset imminutus, plura corpora essent reddenda, ut dati sunt 24. Joachimici, qui valebant singuli 25. grossos, tempore solutionis verò tantum aestimantur 24. jam non 24. sed 25. corpora essent restituenda; si auctus esset, pauciora forent reddenda, & sic vel plus vel minus esset in petitione, quam erat in obligatione, contra pr. tit. Inst quib. mod. toll. oblig. ibi: Solutione ejus, quod debetur. VI. Postremò, si solutionis tempori aestimatio esset accommodanda, tum vel debitor, vel creditor incommodum sentiret: creditor quidem si valor decrevisset, potuisset enim sua pecunia melius uti, si eam tempore contractus expendisset, atq; sic officium ipsi noceret, contra l. 7. test quemadm. aper. debitori verò, si crevisset: credibile enim est, ipsum statim pecunia esse usum eo valore, quo accepit. Æquitati igitur naturali conveniens est, ut potius contractus tempori inserviamus, quod & in jure can. receptum est c. pen. extra de censib. Hec tamen cave, putes etiam post moram à debitote commissam valere: nam si tunc aestimatio aucta fuerit, debitori mora sua no-

cebit l. 5. de reb. cred. l. 23. de V. O. l. 173. §. 2. de R. J. §. credito-
 ri tantum solvendum, quantum habiturus esset, si absq. mora
 solutum fuisset l. 21. §. 3. de act. empt. Patrocinium hujus sen-
 tentie suscipiunt, Molin. in tr. de usur. q. 92. a 664. Don. ad l.
 3. de reb. cred. n. 11. Hotom. ill. q. 15. Zanger. lib. 3. de except. c. 1.
 n. 78. Vasq. lib. 1. ill. contr. c. 2. n. 7. Treutl. vol. 1. disp. 20. th. 2.
 lit. C. Bronch. cent. 2. aff. 18. Coras. lib. 3. miscell. c. 13. n. 5. Dn.
 Arum. exerc. 12. th. 11. Hænon. disp. 13. th. 5. Gerhard. dec. 12.
 th. 7. Hackelam. ill. q. 9. th. 4. lit. a. Wes. in par. ff. de reb. cred.
 n. 12. Diss. Andr. Kobl. exerc. 19. n. 2. Facb. lib. 2. contr. c. 9. El.
 Rober. disp. 14. th. 3. Ant. Fab. in libr. de re numma. §. alii.

QUÆSTIO III.

An nummi ab altero debiti, tertio possint mutuo dari?

In mutuo transfertur rei dominium, l. 1. §. 1. de O. & A. ita ut
 de meo fiat tuum l. 2. §. 2. de reb. cred. hinc Paulus in d. l. 2.
 §. 4. requirit, ut sit dominus, qui mutuum est daturus, alias
 contractum nō subsistere, ut si forsan sit fur, l. 1. 3. eod. vel ser-
 vus l. 11. §. si. vel socius l. 16. d. t. nemo enim plus juris ad alium
 transferre potest, quam ipse habet l. 54. de R. J. l. 3. C. de R. V.
 Quæsitum igitur hinc est: An si ego debitorem meum jussero
 tibi nummos mihi debitos dare, mutuum contrahatur, si dati
 sunt? Ex superiorib. negativè respondendum foret, quod cre-
 ditor non sit dominus nummorum debitorum l. 21. de her. vel
 act. vend. l. 23. de reb. cred. nam obligatio nō facit rem nostrā,
 sed personam tantum obstringit l. 3. pr. de O & A. Cui accedit
 §. hoc, quod mutuū sine rei traditione nō contrahatur l. 49. §.
 si. de pecul. pr. Inst. de oblig. ex cons. §. ex ea initium obligatio
 sumat l. 1. §. 2. de rer. permut. quæ hic non intervenit. Verum
 remoris istis non obstantibus respondet Ulp in l. 15. si cert pet.
 accipientem ex mutuo obligari, licet creditor non fuerit do-
 minus

minusc^o & superiori objectioni respondet statim in principio,
 singularia quadã recepta sunt circa pecuniã creditam: quasi
 diceret Pauli quidem ea est regula, qua & aliis contractibus
 convenit: Neminẽ posse dominiũ transferre, nisi ipse dominiũ
 habeat, sed ab hac excipitur pecunia credita, in qua speciali-
 ter hoc est receptum, id quod est Africanus in l. 34. pr. mand.
 benignè, & sic extra terminos regula, receptũ esse affirmat.
 II. Ratio a. hujus singularitatis cõsistit in fictione brevis ma-
 nus. qua eundẽ sæpè habet effectũ, quam si rei veritas observa-
 ta fuisset. ne scil. circuitu longo sit opus l. 53. de condic. indeb.
 Hinc et si venditio requirit rei traditionem. §. alia. Inst. de
 donat. tamẽ interdum sufficit ficta traditio l. 9 §. 5. de A. R. D.
 l. 9. §. 1. de publ. in rem act. §. interdum. J. de R. D. & brevis
 manus. l. 43. §. 1. de jur. dot. Hinc si maritus jubeat dare uxori
 quod sibi quis erat donaturus, perindẽ non valet donatio, at-
 que si ipse prius accepisset & postea donasset l. 3. §. fin. de don.
 int. vir. & uxor. Fingitur igitur & in hoc casu, creditor nũ-
 mos & corũ dominiũ à debitore consecutus, quod postea mu-
 tuo dando vicissim transtulit arg. l. pen. de A. R. D. l. 14. §. fin.
 de furt. nam quod quis per alium accipit, ipse accipere vide-
 tur d. l. 3. §. pen. de don. int. vir. & ux. Sed quod Ulpianus hoc
 ipsũ Jus singulare à duab. personis extendit ad unã, in eo vi-
 detur Africano litẽ movere: Ait enim Ulp. Idem obtinere si
 pecuniam, quam mihi ex causa mandati debebas, tibi ex con-
 ventione quasi creditam relinquam, videri enim eam à me
 ad te profectam; cui in speciem obloqui videtur in l. 34. pr.
 mand. Quã contrarietatẽ ut in gratiam reduceret, valdè ha-
 ctenus laborarũt viri sũmi & doctissimi, nõ tamen aquè felici
 opera, Cujas lib. 8. obs. 8. & ad Afr. in d. l. 34. Pac. cent. 3. q. 66.
 & Treutl. vol. 1. disp. 20. th. 3. distinguunt inter equitatem &

strictum

strictum jus. Don. ad d. l. 15. n. 25. & seqq. in l. 15. ait pecuniam fuisse paratam, in l. 34. mand non item, quæ sequitur Bronch. cent. 2. ass. 15. Sed hanc sententiam Donelli ab Alciato profectam, rejiciunt Coras. & Robert. eam licet in suis terminis veram, l. 58. §. 1. de jur. dot. Africani tamen sententia repugnare statuentes. Hotom. lib. 1. amicab. resp. c. 28. corrigit, d. l. 34. & in fin. pr. addit negativam NON putatq. hanc sententiam Africani & Ulpiani rejectam in d. l. 15. & in l. 10. §. 3. mand. & nullibi receptam. Aliter Coras. 6. miscel. 16. cui ex parte subscribit Dn. Arum. disp. ff. ii. th. 4. utrumq. refutat Robert. lib. 2. sent. c. 4. qui discrimen ponit in diversa procuratoris consideratione. Ant. Fab. 3. conject. 19. antinomiã statuit. Putamus Africanum Ulpiano non adversari, ait enim pecuniam creditam non constitui nuda conventionem, sed vera domini translatione, sive illa fiat traditione vera, l. 20. C. de pact. sive ficta, quod benignè receptum est. l. 53. de condict. indeb. Utrumq. etiam Ulp. ait, ideoq. quoad fictionem brevis manus jus singulare constituit. Illud saltem controversi videbatur: An igitur secundum Ulpiani sententiam quæcunque pecunia apud procuratorem quovis modo constituta hac ratione possit in creditam converti? Ideoq. Africanus quasi Ulpianum interpretaturus, ponit talem casum, ubi procurator nec sibi, nec domino dominium pecunie vel possessionem acquisivit, sed qui quali modo eam apud se habet: cum suo potius nomine, quam domini exegerit l. 3. §. 20. de acquir. poss. id quod satis innunt verba APUD SE, quæ possessionem non inducunt l. 63. de V. S. ubi vide quæ de differentia horum, Penes & apud se, eleganter tradit Gædd. n. 2. & 4. Quæ cum ita sint fictio brevis manus locum habere non potest. Nam licet revera domino rem tradidisset, tamen

domi-

dominium in eum non transtulisset, quod non habebat; Et sic dominus procuratori denuò rem credens non fecisset creditam. Fictio igitur non debet plus in ficto operari quam veritas in vero, l. 8. §. penultim. de opt. leg. natura enim debet convenire, l. 14. §. fin. de interrog. Patet hinc diversos esse utriusque legis casus, cum Ulpianus sit accipiendus de eo procuratore seu mandatario, qui verè acquisivit pecunia dominium; Africanus verò de eo, qui non acquisivit: Et sic diversarum rerum, diversum etiam jus fuisse statuendum. Vide Marcum Lycklamam libr. 2. membran. Eclog. 1.

QUÆSTIO IV.

An condictio indebiti competat ei, qui ad ἀντίδογμα est obligatus?

Species lucri est, inquit Gajus, largiri Et beneficii sibi debitorem acquirere l. 54. §. 1. de furt. etenim qui donat, ad remunerandum sibi aliquem naturaliter obligat Ulpian. in l. 25. §. 11. de her. petit. Hinc inter nostri seculi Doctores controversia movetur acris, an ad ἀντίδογμα obligatus, possit tanquam indebitum condicere, si quid benefactori per ignorantiam solverit? In negativam sententiam pedibus imus. I. Quicquid jure gentium indebitum solvitur, per condicti- nem repeti potest l. 47. de condict. indeb. At quicquid solvi- tur ex obligatione antidotali, jure gentium est indebitum. Ergò. Assumptum firmamus: quia obligatio hæc non est ex jure gentium, sed ex jure naturali Et affectu brutis etiam communi profluit; Et in hoc suo instinctu subsistit: non ergò jure gentium applicanda venit, sic enim solis conveniret ho-

minibus argument. l. 9. de J. & J. Vide Gell. libr. 5. cap. 14. Camer. in hor. succis. cent. 1. c. 21. & cent. 2. c. 28. II. Illud demum repeti non potest, quod vel civiliter, vel naturaliter fuit debitum l. 13. in f. l. 26. §. 3. de condict. indeb. At remuneratio nec civiliter, nec naturaliter debetur. Prius membrum est extra dubitationis alam positum, posterius sic demonstramus: Id natura seu obligatione naturali debetur, quod juri gentium dari oportet l. 84. in f. de R. J. Verum obligationem antidoralem non esse eam naturalem, qua in conditione indebiti consideratur, & aliàs Jurisgentium vocatur, jam est ostensum, nam ha obligationes dis dià τασών distant. Naturalis enim obligatio propriè ita dicta habet in se necessitatem præstandi, §. 1. J. de oblig. Antidoralis nullam, unde rectè Giphanius illam vocat juridicam, hanc verò philosophicam, utpotè quæ potius suadeat, quam cogat ad l. 14. de O. & A. num. 10. atq; sic ne nomen quidem obligationis naturalis in jure (quod verba cum effectu accipit, l. 1. §. 2. quod quisque jur. in al. l. penult. §. 2. ne quis cum qui injus voc.) meretur, id quod paulò altius nunc investigare lubet. Et principio id reponimus, quod actus agentium non debèat operari ultra ipsorum intentionem, l. 7. §. 12. de pact. idque vel in primis in contractibus & obligationibus l. 19. de rebus credit. Jam verò si donantis propositum & animum intuemur, nihil in eo amplius invenimus, quam unius & solius liberalitatis & munificentiae exercitium, l. 1. princ. de donat. Malè ergò naturalis obligationis acquisitio ipsi affingitur, & præter mentem. Unde etiam dicitur in d. l. 25. §. 11. quod non sit locupletior factus, & sic

paup e.

pauperior, l. 47. de solut. nam perdidisse videtur, l. 7. pr. de
 donat. quod sanè dici non posset, si verè naturaliter sibi dona-
 tarium obligasset. Quemadmodum enim id alicui abesse vide-
 tur, in quo est obligatus l. 28. de neg. gest. ita habere creditur,
 quod sibi debetur, l. 15. de R. J. l. 143. de V. S. Deinde quis
 adeò in jure nostro hospes est, ut nesciat obligationem, (et-
 iam naturalem) esse juris vinculum, quo necessitate adstrin-
 gimur? §. 1. J. de obligat. l. 59. de condict. indeb. l. 95. §. 4. de
 solut. Quotusquisque verò est, qui dicat, remunerationem
 fieri ex aliqua necessitate cogente? Nomen ipsum recla-
 mat. si remuneratio, ergò munus munere, donum dono re-
 compensandum. Donatio igitur requiritur, quæ sit nullo
 jure cogente l. 29. pr. de donat. l. 82. de R. J. aut si coactè do-
 natur, jam non est donatio, non beneficium l. 30. de rit. nupt.
 l. 84. de her. inst. non liberalitas, l. 18. de adim. leg. Unde
 consequitur quod relinquatur in libero donatarii arbitrio,
 an velit se gratum exhibere remunerando, quod vicissim
 pugnat cum natura obligationis l. 8. de Obl. & Act. l. 3. in f.
 mand l. 108. de V. O. Hinc si mixtum est negotium cum do-
 natione, obligationem non contrahi eo casu quo donatio est,
 ait Ulp. cum Pomponio & Aristone in l. 18. pr. de Don. adde
 l. 13. de precar. ut meritò hanc obligationem antidoralem
 Connan. lib. 1. comm. c. 6. numer. 13. referat ad primam il-
 lam legem naturæ, quæ ad honestatem pertinet, non quæ ne-
 cessitatem jurisgentium habet. Nec movebit nos, quod
 remuneratio hæc non sit simplex donatio, cum causam
 habeat præviam donationem: licet enim hoc ita sit,
 tamen nihilo minus donatio est, l. 34. §. 1. de donat.

Et ob hoc ipsum naturam suam non exiit. Sic donatio mortis causa, quae legato adequatur l. 37. prin. de mort. caus. donat. quanquam non proprie donatio dicitur, l. 1. princ. de donat. propterea quod causam habet, Et plerumque ob meritum datur l. 9. pro soc. tamen donationibus non improprie (de discrimine inter non proprie, improprie Et non improprie vide l. 1. princ. de suis Et leg. l. 130 Et ibidem, Gædd. num. 5. de V. S.) annumeratur, Et liberalitas à fine suo ultimo dicitur l. 6. si cui plus, quam per l. Falcid. l. 10. §. 1. de ann. leg. Repetimus igitur nostrum fundamentum: Quodcumque meum apud alterum deprehendo sine causa, l. 66. de condict. indeb. hoc est, quod nec civiliter nec naturaliter debitum fuit, tum datur repetitio. At quod obligatus ad autidweg solvit, neutro modo fuit debitum. Ergo repetit. Vide Duaren. ad tit. de O. Et A. c. 2. pag. (mibi) 952. a. Donell. 12. comm. 2. Vasq. lib. 1. ill. contr. cap. 9. num. 3. Coras. ad l. 38. de condict. indeb. in prelud. num. 20. Treutler. volum. 1. disputat. 22. thes. 6. in fin. Andr. Gerhard Decad. 12. thes. 2. Et novissime Dominm Gaspar. Schifordeg. lib. 3. tract. 26. quest. 1. Et sequentib. Diss. Zas. libr. 1. sing. respons. cap. 2. num. 22. Et sequentib. Förster. part. 1. disp. 19. thes. 4. Robert. libr. 1. sentent. c. 6. Haenon. disputat. 18. thes. 21. Enuclat. Donell. d. libr. 12. C. 2. lit. O.



QUÆSTIO V.

An necessaria sequestratio regulariter sit prohibita?

DEpositi duæ sunt species, quarum una retinet nomen sui generis, & custodiam rerum non litigiosarum respicit l. 1. prin. Depos. altera verò propriam sortitur appellationem, diciturq; sequestratio l. 5. §. 1. & 2. l. 6. d. t. & est rei tantum litigiosæ l. 110. de Verb. signif. quam regulariter non esse prohibitam ob sequentes rationes statuimus. I. Id evincitur ex l. unic. C. de prohibit. sequestr. quæ in certo casu sequestrationis necessitatem conquiscere jubet: Ergò in aliis dissimilibus regulam statuit, sequestrationem regulariter esse licitam, l. 12. §. 43. vers. denique de instr. leg. l. 12. pr. de Jud. Quod autem de speciali casu loquatur, d. l. unic. ostendit verbum **P E C U N I Æ** ter repetitum, cujus repetitionis hæc est emphasis, ut jus statutum ad pecuniam tantum restringat. Et si enim aliàs verbum Pecunie in latiori significatu acceptum significat omnia ea, quæ in patrimonio nostro sunt l. 5. prin. de V. S. tamen in ea significatione non esse positum ab Imperatorib. vel hoc indicio nobis esse debet, quod si generaliter voluissent prohibere sequestrationem, longè expressius id fecissent, si voculam Pecunie omisissent, & sic omninò foret ociosa. Credibile igitur eam hi. usurpari in frequentiori significatione, & significare res tantum fungibiles, quæ pondere, mensura & numero constant, l. 30. prin. de leg. 1. l. 5. de usufruct. ear. rer. atque hoc Cujac ex connexionem tit. evincit. agitur enim ibi de certi conditione. II. Quia in quantitibus cessat finis se-

questrationis, qui est ut res custodiatur l. 1. princip. Deposit. ne pereat aut à possessore corrumpatur, l. 7. §. final. qui satisd. cog. l. 21. §. final. de appellat. l. 22. §. 8. solut. matrim. Sed quantitates interire nequeunt, l. 30. §. 5. ad l. Falcid. est enim quantitas loco generis l. 2. princ. Et §. 1. de rebus credit. quod interitus est expers l. 11. C. si cert. pet. III. Pertinent huc omnes leges, qua rem litigiosam sequestrari jubent l. 16. §. final. de off. prasid. l. 11. §. 1. ad exhib. l. 5. C. quor. appell. non recip. Et quas pro sententia hac afferunt Robert. lib. 1. sent. c. 5. Cujac. in par. C. de prohibit. sequest. Et ibidem Giphano. contra Coras. 3. miscell. 2. Gædd. de sequest. poss. c. 1. num. 83. Treutler. volum. 1. disput. 26. thes. 8. lit. H. Bronch. cent. 1. miscel. aff. 63. Wegner. disput. 10. tb. 6.

QUÆSTIO III.

An repressaliæ sint in republica tolerandæ?

Est quadam pignoris species, quam Repressalias seu repressalias vocant Jcti, à Gallico reprendre Et reprendre, ut docet Petr. Gregor. libr. 38. Syntagm. Jur. cap. 8. num. 4. quod est, aliud pro re sua accipere. Sunt enim Repressaliæ pignorationes, rerum seu personarum, quando unus pro alio, Et res unius pro re alterius apprehenditur. Gail. libr. 1. obs. 28. num. 9. Hæc an de jure in Republica tolerari possint, non immeritò quæsitum est à viris non ultime classis? Si jus civile Et canonicum intueamur, multa inveniemus que pro negativa pugnent; pauca que affirmativam muniant. I. Nega-

tivam

tivam adjuvat *Authen. Habita. C. Ne fil. pro patr. ubi*
Repressalia perversa consuetudini adscribuntur: quod au-
tem non ratione introductum est, obtinere non debet, l.
39. de Ll. ne rationem aut legem vincat l. 2. Cod. que sit lon-
ga consuet. III. Quisquid legibus & equitati contraria-
tur, id nec jus est l. 1. princip. de J. & J. nec pro jure reci-
piendum, l. 8. Cod. de pact. convent. tam sup. dot. Sed jus
Repressaliarum legibus & equitati esse contrarium aper-
tè dicit c. unic. extra de jurejur. & damn. dat in 6. Er-
gò eliminandum. III. Quia per Repressalias aliquis a-
lieno odio prae gravetur, quod iniquum l. 33. §. 1. Cod. de inoff.
test. l. non debet extra de R. J. in 6. debet prestare, quod
non accepit contra l. 78. de leg. 1. ob as alienum tenetur,
quod jura non concedunt l. 3. l. 12. de O. & A. l. 3. C. ne fil.
pro patr. l. 23. Cod. de Decur. libr. 10. l. 4. Cod. de executor.
libr. 12. IV. Hinc repressalia tanquam iniquitatis plena
à Justiniano sub poena prohibeatur in Novell. 132. cap. 7.
cum nullam habeat rationem, alium quidem esse debito-
rem, alium verò exigi Novell. 52. princ. & §. 1. Auth. sed
omnino. C. ne uxor pro marit. V. Quin imò equitati
naturali adversatur, alienis debitis alios molestari, l.
unic. Cod. ut null. ex vican. pro alien. VI. Utilita-
tem publicam, quae preferenda est privata l. 15. in
f. ad l. Aquil. Novell. 39. cap. 1. l. 9. §. 5. de publican.
impediunt, dum dissensiones quae rempub. ledunt l. 21. §. 1.
de capt. & postl. revers. cum vicino Principe concitent,
quas tamen bonus Magistratus quavis ratione po-
tius praecavere debet, l. 3. princip. de off. praef. vig.
 VII. Quia Magistratus qui repressalias concedit aut est

major

major, aut minor eo, qui justitiam denegavit, aut eidem par habetur. Si est major, poterit eum vi Imperii sui cogere, ut justitiam administret argum. l. penult. §. 2. de vacat. mun. Si minor, tum quidem superiorem non potest cogere, l. 4. de recept. arbit. ut neque si par est, l. 13. §. 4. ad SC. Trebell. sed ne iudex constituatur in propria causa, l. 10. de Juris d. l. 11. de Jud. implorabit auxilium superioris, l. 14. C. de Jud. aut si superiorem non habuerit, ut coarctari non possit, Nov. 23. c. 2. recurrendum est ad illud: cognoscant Principes seculi Deo debere se rationem reddere, c. Principes, q. 5. Et satius esse, impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnare, l. 5. prin. de poen. VII I. Taceo quod hac ratione inverteretur iudiciorum ordo l. 2. C. de Jurisdic. omn. Jud. cum iudex omnino sit incompetens, qui extra territorium et supra Jurisdictionem Jus dicit, l. ultim. ff. d. t. l. 3. de off. pres. l. 21. §. 10 de recept. arb. l. 53. in f. de re Jud. Vide hac de re sententiam Gail. tract. de pignor. obs. 2. et lib. 1. obs. cap. 28. num. 5. Treutler. volum. 2. disput. 1. thes. 5. liter. G. Heig. libr. 1. quest. 12. Mynsing. 6. obs. c. 1. Petr. Gregor. d. l. Petr. Frinder. Mindan. in tract. de process. mand.

et monitor. et c. libr. 1. cap. 48. Coler. de process. execut. libr. 1. cap. 2. numer. 272. Gothofred. ad d. Novell. 52.

(:)



QUAE-

QUÆSTIO VII.

An stipulatio sit contractus?

NE funem ex arena nectamus, videndum ante omnia fuerit, num stipulationi inter contractus πολιτεύματα quoddam sit concedendum? Et quamvis sint, qui eam ex horum numero omninò removendam statuunt, nos tamen quid pro ejus jure afferri possit, videbimus. I. Cuicumque convenit definitio, eidem est definitum, l. 60. de re jud. pr. tit. Inst. de vi bon. rapt. Sed stipulationi convenit definitio contractus. Ergò Minoris veritas ita potest adstrui. Contractus definitur in l. 19. de V. S. quòd sit ultrò citroq; obligatio: à Theophilo in §. ult. Inst. de oblig. quòd sit duorum pluriumve in idem conventio, est consensus ad constituendam obligationem, ut est alter alteri fiat obnoxius: A Don. ad l. 1. de reb. cred. n. 6. quòd sit conventio, vel duorum pluriumve placitum est consensum, ut quid detur aut fiat uni ab altero, quo est ipso alter alteri obligatur. Quamcumq; ex his accipias, videbis eam stipulationi optimè posse applicari. Si Ulpiani in d. l. 19. est ultrò citroq; obligatio, h. e. habet in se mutuū negotiū, ex quo obligatio nasci potest, l. 2. inf. de reb. cred. l. 1. §. 2. de pact. jūcta l. 15. de præscr. verb. Quamvis autem obligatio hac non sit mutua, est ultrò citroq; non obstringat, prout verba requirere videntur tamen id minimè impedit, quin sententia nostra subsistat. Etenim propositum erat sc̄o proponere definitionem, quæ contractibus tum διωλευγῆς, tum etiam μονοωλευγῆς ex æquo tribui posset; itaq; verba Ultrò Citroque, quo ad priores illos contractus conjunctim accipi possunt est debent, ita ut ex

Υ

utraq;

utroq³ latere subsequatur obligatio, quo ad hos verò, disiunctim, ut sufficiat, si ex alterutra parte obligatio contingat, l. 13. §. pen. de act. empt. ut in stipulatione. Neg³ verò id absurdum est, possunt enim interdum conjuncta disiunctim accipi l. 29. de V. S. & contra, disiuncta conjunctim, l. 53. eod. Si Theophili, apparebit eam esse duorum pluriumve consensum sive conventionem l. 31. de O. & A. ad constituendam obligationem, unde verborum obligatio dicitur, l. 35. de R. J. l. 1. in f. de novat. §. 1. Inst. quib. mod. toll. oblig. l. 126. §. 2. de V. O. per Metonymiam effectus, actionemq³ producit ex stipulatu l. 7. §. 12. de pact. vel certi conditionem, l. 75. l. 7. 4. de V. O. si Donelli jam res est clara per l. 5. §. 1. de V. O. II. Hinc stipulatio inter reliquos contractus numeratur, l. 9. pr. de duob. reis, l. 1. §. 1. de O. & A. l. 1. §. pen. de pact. l. 9. §. 3. de rebus cred. §. final. Inst. de oblig. Hinc verbis dicitur contrahi l. 1. §. 7. de O. & A. l. 80. de solut. l. 3. §. 18. de pecul. l. 3. C. de inutil. stipul. l. 8. §. 3. de accept. l. 2. de novat. Videatur Don. lib. 14. com. c. 36. Gædd. in tr. de contr. stipul. c. x. num. 27. & seqq. Ant. Guibert. libr. 1. quest. jur. c. 8. Zas. ad l. 1. de V. O. num. 1. Cujac. ad l. 1. & l. 7. de pact. Giph. ad rubr. de V. O. num. 31. Borcholt. de V. O. c. 1. n. 62. Diss. Hopper. lib. 2. τ ε θ α ν ω ν. in f. gl. in §. conventionales Inst. de divis. stipul. & ad l. contractus. Cod. de fid. instr.



QUÆSTIO VIII.

An stipulatio sit contractus Juris civilis?

Obtinuimus stipulationem esse contractum: nunc paucis inquiremus, cuiam ergò Juri sit adscribenda, gentiū, an civili? Pro posteriori hoc militabimus I. Omnis contractus aut est ex jure gentium, aut ex civili, tertium n. non datur l. 5. de J. & J. Atqui obligatio est contractus, ut constat. Ergò. Non autem est ex jure gentium, id quod hac ratione evincimus: Quicumque contractus non participat proprietatibus contractibus Juris gentium competentibus, is utique Juris gentium dici nequit, proficiscuntur enim illa ex propria & essentiali forma. At quis non videt, vel manibus potius palpat, stipulationem à proprietatibus contractuum Juris gentium excludi, atq; eadem ratione ab iis separari: illi perficiuntur solo consensu l. 1. in f. de contr. empt. verba non requirunt l. 1. locat. hac præter consensum appetit etiam verba l. 5. §. 1. de V. O. illi inter absentes etiam peragi possunt d. l. 1. in f. hac non nisi inter presentes l. 3. C. de inutil. stipul. l. 1. pr. de V. O. illi constringunt etiam deportatos l. 17. §. 1. de pœn. l. 15. de interd. & releg. hac non utique l. 14. §. 1. de novat. Atq; hoc est, quod in l. 26. §. 2. de V. O. stipulatio opponitur naturali obligationi seu contractui mutui. Sequitur igitur quod sit Juris civilis. II. Porro forma stipulationis essentialis, perquam est & à reliquis contractibus distinguitur, consistit in verbis l. 1. loc. à quibus etiam appellationem accepit, quod sit verborum obligatio, verborum conceptio, modò verba legitime fuerint interposita & hoc animo, ut fiat stipulatio l. 7. §. 12. de pact. At quoad formam hanc aliquid est immutatum

respectu verborum, §. 1. Inst. de V. O. §. l. 1. §. ff. eod. à constitutione Leonis, l. 10. C. de contr. stipul. §. sic à jure civili l. 1. de const. pr. oportet igitur ut forma hæc sit ex jure civili argum. l. 8. de cap. min. §. pen. J. de J. N. G. & C. §. beneficio forma à qua sit denominatio, l. 10. de stat. hom. ipsa quoque stipulatio l. 9. §. 3. exhib. III. Regula est, quod omnes penè contractus sint ex jure gentium l. 5. de J. & J. exceptis quibusdam qui ex jure civili oriuntur: ortam autem esse stipulationem esse jure civili præter dicta, probant quodammodo, l. 53. de A. R. D. l. fin. de const. pec. §. de constituta Inst. de act. Ergo regula includi nequit. Adde Vacon. à Vacun. lib. 5. declar. c. 98. Treutl. vol. 2. disp. 27. th. 1. lit. C. Gædd. de contr. stipul. c. 2. conct. 1. num. 1. & seqq. Vult. 1. J. c. 39. Cujas. lib. 5. obs. 36. & 14. obs. 40. Dna. ad l. 1. inf. de V. O. Dn. Arum. exerc. 13. th. 1. Wesf. & Heig. ad §. Jus autem gent. J. de J. N. G. & C. Förster. part. 2. disp. 14. th. 1. Hæn. disp. 1. th. 14. Borch. de V. O. c. 1. n. 65. Diff. Walt. 1. miscell. c. 11. Hotom. in d. §. Jus autem gent. Revard. 4. var. 15.

QUÆSTIO IX.

An in stipulatione facti interesse præstari possit?

IN stipulationem non tantum deduci possunt res corporales & incorporales, verum etiam facta, l. 2. pr. de V. O. §. final. Inst. eod. ita tamen ut proprium promittatur factum, non alienum, l. 83. pr. de V. O. quod non magis ac res, quæ non est in commercio, promitti potest l. 11. de O. & A. Quid ergo, si factum proprium in stipulationem est deductum, an strictè præstandum est factum? Non videtur. I. Quia hoc expresse negant leges, l. 13. inf. de re Jud. ibi, sicut evenit in omnibus faciendi

obliga-

obligationibus l. 72. in f. pr. de V. O. Si quid stipulemur, si non fuerit factum, pecuniam dare oportere, l. si. Si quis in jus voc. l. 81. pr. de V. O. II. Quicumque solvit id, quod debet, liberatur solutione, pr. tit. Inst. quib. mod. toll. oblig. Atqui solvit interesse seu pecuniam, solvit id quod debetur arg. l. 4. de usur. l. 6. pr. de serv. export. Habet enim stipulatio facti semper hanc obligatirnem, ut vel praestetur factum vel pecunia, ut ex ll. supr. allatis & ex l. 172. §. 1. de V. O. patet, promissoris igitur est actio, l. 35. C. de donat. l. 10. §. ult. de jure dot. & imputabit sibi stipulator, quod verba aliter non conceperit, & promissorem strictè ad factum obstrinxerit, l. 99. de V. O. l. 39. de pact. III. Quia facta personae inseparabiliter inhaerent l. 44. pr. de cōdit. & dem. propterea quod variant pro ratione personarum l. 26. §. 12. de cōdit. indeb. Quare si quis precisè teneretur ad factum, deduceretur quasi in servitutem stipulatoris, l. 2. de lib. hom. exhib. l. 12. de ann. l. 71. §. 2. de cōdit. & dem. cum tamen pactis vel stipulationibus nemo in servitutem deduci possit l. 6. C. de lib. caus. Faciunt nobiscum Donell. & Giphon. ad l. 72. de V. O. n. 26. Gædd. de contr. & commit. stipul. c. 9. conclus. 4. num. 30. Gomez. lib. 2. var. resol. c. 10. n. 22. Vaud. 2. q. 14. Duar. ad l. 13. de re Jud. Förster. part. 1. disp. 17. t. b. 6. Hoënon. disp. 14. t. b. 8. Diß. V. asq. ill. contr. c. 25. n. 33. Bronch. cent. 4. ass. 41. Coras. ad l. 72. de V. O. & 2. miscel. c. 3. Clud. de sequestr. c. 5. num. 16. in f. Cujac. ad d. l. 72. Borcholt. de V. O. c. 2. num. 99.



QUÆSTIO X.

An Fidejussor in maiorem summam fidejubens, in concurrentem teneatur?

Duo in primis sunt remedia, quibus contractuum securitas custodiri potest, pignus nimirum, l. 25. de R. J. & fidejussio l. 1. §. 8. in f. de V. O. l. 7. de stipul. prætor. Unde posterior hæc vocatur sequela præcedentis obligationis l. 5. §. antep. de inst. act. & quia non nisi beneficio stipulationis ulli contractui addi potest l. 12. C. de fidejuss. §. ver. Inst. eod. omnia quæ in stipulatione requiruntur, etiam fidejussioni sunt applicanda, l. 30. de V. O. l. 8. pr. de fidejuss. Quemadmodum igitur de stipulatione quæri solet. An quinq; fuerint in interrogatione, promissor autem responderit decem: valeat stipulatio? Eodem modo controvertitur de fidejussore, utrum teneatur in summam concurrentem? Qua in questione dubios nos fecit virorum insignium auctoritas, in affirmantem, tamen non in viti abibimus. I. Quicquid in stipulatione est receptum, idem etiam obtinet in fidejussione, cum nil sit aliud quàm fidejussoria stipulatio. At in stipulatione ita jus est, ut si stipulanti mihi decem, tu viginti respondeas, in decem obligatio contracta dicatur, l. 1. §. 4. de V. O. idque propterea, quod qui viginti dicit, etiam in decem consentire videtur, major enim numerus semper in se continet minorẽ, l. 9. de in lit. jur. l. 29. §. 1. de leg. 3. Cum igitur non minus id in fidejussore sit verum, quàm in alio, cur fingamus diversum jus? Si enim seriò fidejussit in viginti, tum utique animum eum habuit, ut in viginti sese obligaret: multò ergò magis obligasse se creditur in decem, l. 83 §. 3. de V. O. Quò facit, l. 27. §. 5. de pact. II. Idem probari potest ex l. 8. §. 7. de fidejuss.

ubi Ulp.

ubi Ulp. ita loquitur; Illud commune est in universis, qui pro aliis obligantur: quod si fuerint in duriores causam adhibiti, placuit eos omnino non obligari. Id quod Paulus in l. 34. eod. ita offert: Hi qui accessionis loco promittunt, in leviores causam accipi possunt, in deteriores non possunt. Ex quibus ita argumentamur: Tum obligatur fidejussor, quando nil amplius debet, quam principalis debitor. At si in summam concurrentem tenetur, non debet plus quam principalis. Ergo. Nec quicquam nos morantur verba, OMNINO NON, ea enim id tantum volunt, quod fidejussor in deteriores causam omnino non obligetur: interim tamen non negant, eum in summam concurrentem teneri. Atque hanc esse mentem Ulpiani, apparet ex verbis: In universis, qui pro alio obligantur, quibus procul omni dubio etiam respicit ad pecuniam constitutam: in qua tamen ille idem Ulp. hoc receptum esse affirmat, ut si quis centum debens, ducentos constituat, in centum teneatur, l. 11. in f. de const. pec. Nec est novum, ut particula negativa interdum postponatur, cum preponi debuisset, l. 9. §. 1. si quis caut. in jus, l. 5. §. 6. op. nov. nunc. Hinc Haloander ex archetypo quodam verba hac transposuit, ut legatur NON OMNINO, quem sequitur Mynsing. ad §. fidejussores. Inst. de fidejuss. Quia sanè lectio si retineatur (ut & optimè retineri potest) Achylleum nostra sententia exhibet fundamentum, & hanc habet sententiam, quod fidejussoria in summam excedentem, sed concurrentem tantum modò teneatur. Sic hæc verba usurpantur in §. præterea. Inst. de except. pro non planè. Verum cum hæc hac vice propter angustiam tēporis latius persequi non liceat, interim lectorem ablegatum volo ad Vasq. part. 1. libr. 1. illustr. contr.

c. 40. n. 5. Hering. c. 24. de fidejuss. n. 65. Treutl. vol. 2. disp. 28.
 th. 4. lit. B Cramer. disp. 17. th. 6. Wesenb. in d. §. fidejussores.
 Arum. exerc. 13. th. 15. Gilbert. Reg. libr. 2. évav]. c. 20. Gerhard.
 decad. 14. q. 2. Bronch. cent. 4. ass. 53. Marcus Lycklam. libr. 6.
 membran. Eclog. 16. Aquibus diss. Hotom. in §. 4. de
 fid. Enunc 1. & Gaspar. Schifordegh.
 lib. 2. tr. 9. ad Anton.
 Fabr.



MANTISSÆ.

I.

Inter Julianum in l. 36. de A. R. D. & Ulpianum in l.
 18. de reb. cred. nullam esse discordiam statuimus.

II.

Uti nec inter Justinianum in §. præterea. 5. Inst. de in-
 utilibus stipulation. & Ulp. in l. 1. §. 4. de V. O.

PARADOXON.

Obligatio quæ nulla est, producit actionem.



DIA-

00 A 6440


ULB Halle 3
002 937 344



VD17

Reho ✓







29

ARUM
 CARUM
 S VII.

I. A.
 CONSENSU
 orum Ordini-
 a Salanâ,
 E

HRÖTERO,
 MARCHICO,
 NABITUR
 AMPHURDENSIS
 O.
 novembr.
 Æ
 S WEIDNERI.
 RISTI